



Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Q. 172. Vtrum non habentes vsum rationis possint, ac debeant suscipere eucharistiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

fit, ne eucharistia perueniat in manus infidelium, vel hæreticorum, qui eam contumelia afficiant, ad vitandam hanc irreuerentiam, potest sumi etiam à non ieiunis. Ratio est, quia præceptum non sumendi eucharistiam post solum ieiunium impositum est propter reuerentiam sacramenti; ergo non obligat pro casu, in quo nisi eucharistia sumatur à non ieiuno, sequetur multò maior irreuerentia sacramenti.

QVÆSTIO CLXXII.

Virum non habentes vsu rationis possint, et debeant suscipere eucharistiam?

S. Tho. quest. 80. art. 9.

Respondet S. Thomas, ponendo tres conclusiones. Prima est: ijs, qui dicuntur carere vsu rationis, quia habent debilem vsu rationis, danda est eucharistia. Ratio est, quia cum isti habeant aliquem vsu rationis, possunt eucharistiam sumere cum aliqua deuotione; ergo eucharistia non est illis neganda. Secunda conclusio est: ijs, qui totaliter carent vsu rationis, & nunquam illum habuerunt, non est danda eucharistia. Ratio est, quia in ijs neque est, neque fuit vlla deuotio huius sacramenti. Tertia conclusio est: ijs, qui ita carent totaliter vsu rationis, vt aliquando habuerint vsu rationis, si eum habuerunt vsu rationis, habuerunt aliquam deuotionem huius sacramenti, danda est eucharistia in articulo mortis, nisi forte timeatur periculum vomitus, vel expulsiōnis. Ratio est, quia præcessit deuotio sacramenti. Confirmatur ex Concilio Carthaginensi quarto can. 76. vt refertur 26. qu. 2. cap. 76. *Et, qui penitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conuersus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat penitentiam, & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manuum impositionem, & infundatur ori eius eucharistia.* In Concilio etiam Arausicano 1. can. 3. & refertur de consecr. dist. 2. capite qui recedunt, dicitur: *Amentibus quacumque pietatis sunt, conferenda sunt.*

2. Circa doctrinam articuli quæritur primo, vtum paruuli sint capaces recipiendi sacramentum eucharistiæ.

Respondeo, quod quædam sunt certa. Certum est primo paruulos posse sumere eucharistiam merè materialiter, eo pacto, quo potest illam manducare bestia. Certum videtur secundo, quod paruuli possunt spiritualiter manducare eucharistiam in habitu, in quantum possunt per baptismum accipere fidem, & charitatem, quæ charitas includit vorum habituale eucharistiæ, vt dictum est supra, quæst. 126. num. 8. Certum est

tertio, quod paruuli non possunt manducare eucharistiam spiritualiter per vorum abiectionem, siquidem non possunt habere vorum abiectionem, cum illam non cognoscant. Quæritur igitur, vtum paruuli possint manducare eucharistiam sacramentaliter, itaut illam manducando, recipiant eius fructum, hoc est augmentum gratiæ.

3. Dicendum cum sententia satis recepta, quam sequitur Vasquez disp. 112. cap. 3. Probabilius est paruulos posse recipere eucharistiam sacramentaliter, itaut ex eius manducatione recipiant augmentum gratiæ. Probat: nam vt constat ex Tridentino, sess. 21. & vt ex pluribus auctoribus probat Vasquez loco citato, antiquitus in pluribus locis fuit vsus dandi eucharistiam paruulis ante vsu rationis, & hæc consuetudo antiquorum non est damnanda, vt docet idem Tridentinum; sed ea consuetudo esset damnanda, si eucharistia non posset paruulis prodelle, siquidem illicitum est dare eucharistiam ei, qui est incapax recipiendi effectum eucharistiæ; ergo &c.

4. Opponitur: adultus, qui manducat eucharistiam, putans illam esse panem communem, manducat illam purè materialiter, nec recipit eius fructum; sed paruuli semper recipiunt eucharistiam ignorantes; ergo &c.

Respondeo disparitatem esse, quia vt adulti recipiant sacramentum cum effectu, debent habere intentionem recipiendi sacramentum, ideoque adulti habentes vsu rationis non possunt validè baptizari sine intentione sumendi baptismum; ergo non mirum, quod licet ad hoc, vt adulti recipiant eucharistiam cum effectu, requiratur, vt habeant intentionem illam recipiendi, talis intentio non requiratur in paruulis.

5. Quæritur secundo, vtum paruulis eucharistia sit necessaria necessitate mediij vel præcepti?

Respondeo, quod paruuli ante vsu rationis non obligantur necessitate præcepti ad sumendam eucharistiam, cum sint incapaces præcepti. Certum rursus est contra aliquos hæreticos, ac definitum à Tridentino loco citato, eucharistiam non esse ad salutem necessariam paruulis necessitate mediij. Ratio est, quia paruulis ad salutem sufficit gratia acquisita in baptismo, quam amittere non possunt, cum sint incapaces peccandi; ergo neque eucharistia, neque vllum aliud sacramentum est illis, necessarium necessitate mediij. Vide dicta supra quæst. 126. initio, & num. 17.

6. Ex eo, quod eucharistia non sit necessaria paruulis necessitate mediij, sequitur non dari obligationem dandi paruulis eucharistiam. Immo quia iam introducta est consuetudo non dandi eucharistiam paruulis, datur obligatio non dandi eucharistiam paruulis. Stando igitur in iure diuino, eucharistia

istia potest paruulis dari, quia potest illis conferre augmentum gratiæ: potest etiam non dari propter reuerentiam sacramenti, siquidem non est paruulis necessaria. Antiquitus in multis ecclesijs dabatur paruulis: iam fuit vniuersaliter abrogata hæc consuetudo, & introducta est consuetudo contraria, quæ vt existimat Suarius, habet vim legis, & obligat.

7. Quæritur, tertio vtrum eucharistia danda sit amentibus?

Respondeo, quod vel possumus loqui de ijs, qui ita sunt amentes, vt nunquam habuerint vsum rationis, & de his philosophandum est, sicut de paruulis ante vsum rationis; vel possumus loqui de amentibus, qui post vsum rationis in amentiam inciderunt. Circa hos dicendum primo, quod si amentia non censeatur perpetua, & dum durat, non vrget necessitas, non est ijs danda eucharistia, sed expectandum, dum mentis compotes fiant. Ratio est, quia id exigit reuerentia sacramenti. Dicendum secundo cum communi sententia S. Thomæ, & aliorum, quos refert, & sequitur Suarius contra Alensem, Gabrielem, & paucos alios Theologos: licet eucharistiam dare perpetuo amentibus, etiam eum non vrget necessitas, immo multa sunt iura, quæ fauent. Dicendum tertio, quod non solum licet, sed etiam debet dari eucharistia perpetuo amentibus in articulo mortis constitutis. Probatur ex vfu ecclesiæ. Ratio introducendi hunc vsum fuit, quia eucharistia est illis utilis, & facile potest euitari omnis irreuerentia sacramenti.

8. Quæritur quarto, vtrum eucharistia danda sit Energumenis.

Respondeo, quod si Energumeni priuantur vfu rationis, de his est philosophandum, sicut de amentibus: si autem non priuantur vfu rationis, debet illis dari eucharistia, non quidem singulis diebus, sed certis temporibus. Ratio est, quia cum sint compotes rationis, non est, cur priuentur eucharistia, quæ potest illis esse solatio, & auxilio ad patienter ferendam tantam calamitatem.

Opponitur primò: Concilium Eliberitanum dicit, *ijs, qui à spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, & fideles fuerint, dandam esse eucharistiam*; ergo Energumenis danda est communio solum in articulo mortis.

Respondeo, negando consequentiam. Concilium asserit quidem Energumenis dandam esse communioem in articulo mortis, sed non negat dandam etiam esse alijs temporibus.

9. Opponitur secundo: Canone 39. eiusdem Concilij dicitur: *Energumenum, qui ab erratico spiritu exagitur, eius nomen neque ad altare cum oblatione esse recitandum.*

Respondeo, quod ne Concilium sit sibi contrarium, intelligendum est de ijs energu-

menis, qui propter aliqua scelera publica à dæmonibus sunt obsessi.

QVÆSTIO CLXXIII.

Vtrum liceat quotidie eucharistiam suscipere?

S. Thomas qu. 80. art. 10.

1. **R**espondet S. Thomas, ponendo tres conclusiones. Prima est: si consideretur eucharistia ex parte ipsius sacramenti, vtile est illam quotidie sumere. Ratio est, quia eucharistia utilis est sumentis; ergo vtile est eucharistiam quotidie sumere, vt quotidie acquiratur fructus ipsius, nimirum augmentum gratiæ: ideoque S. Ambrosius lib. 4. de sacram. cap. 6. & refertur de consecratione dist. 2. cap. 4. dicit: *Si quotiescumque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debes semper accipere, qui semper pecco, debeo semper habere medicinam.*

2. Secunda conclusio est: si consideretur eucharistia ex parte sumentis, in quo requiritur magna deuotio, & reuerentia, si aliquis quotidie sit paratus ad sumendam eucharistiam, vtile est, vt quotidie sumat: ideoque Augustinus scilicet 28. de verbis Domini, cum dixisset: *accipe quotidie, vt quotidie tibi proficit*, addit: *Sic viuere, vt quotidie merearis accipere.*

3. Tertia conclusio est: quia homines plerumque habent multa impedimenta, tum corporis, tum animi ad eucharistiam sumendam, non est vtile, vt quotidie illam sumant, sed vt sumant, cum sunt ad illam debito modo præparati, ideoque libro de ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. dicitur: *Quotidie eucharistia communionem accipere, nec laudo, nec vitupero.*

4. Aduertit S. Thomas in resp. ad 5. quod pro conditione diuersorum temporum diuersa sunt ab ecclesia præcepta. Nam in primitiua ecclesia, quando magna erat deuotio fidelium, statutum est, vt quotidie sumerent eucharistiam; ideoque Anacletus, vt habetur de consecratione dist. 1. capite *Episcopus dicit: Peracta consecratione, omnes communicent: qui noluerunt, ecclesiasticis careant liminibus: sic enim Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia.* Postmodum, diminuto fidei feruore, Fabianus Papa, vt refertur de consecratione dist. 2. capite *Et si non frequentius, indulget, vt et si non frequentius, saltem ter in anno omnes communicarent, scilicet in Pascha, Pentecoste, & Natali Domini.* Soter Papa, in epistola ad Episcopos Italiæ, vt refertur de consecr. dist. 2. capite *In Cæna*, addit, vt etiam in cæna Domini omnes communicarent. Demum charitate magis refrigescente, Innocentius tertius relatus capite *firmiter*, statuit, vt saltem semel in anno omnes eucharistiam

Si sume.